



SANCTUS Colomannus ille natione Scotus, ex regio sanguine existens, frequenter per Germaniam iter faciebat, atque terram sanctam, ipsam quæ Hierosolymam magna humilitate, religionis causa, uisitabat. Erat enim tum frequens fama, homines eò proficiscentes, fidem suam erga Deum declarare, & multò in rebus diuinis instructiores redire. In itinere autẽ is non erat otiosus, uerũ cum quibuscunq; loqui poterat, eos in uera fide diligenter confirmabat, atque ad pia opera contra carnis stimulum hortabatur. cum itaq; in oppidum Stockerauu Austriæ peruenisset, atque homines erroris argueret, à quibusdã maleferiatis captus est. Erat autem eorum linguę ignarus. Cum itaque rogatus semper annueret, atq; pro patriæ exploratore haberetur, ab ipsdẽ uimine de arbore suspensus fuit. Postquam uerò is animam efflasset, uiuenti semper similior quàm mortuo uisus fuit. Resticula etiam, qua suspensus erat, florescere & folia emittere cœpit. quibus miraculis homines magna admiratione territi, tandem quis fuerit, & unde uenerit, intellexerunt. Itaque eundem post sesquiannum de arbore depositum, magna ueneratione sepelierũt, anno millesimo duodecimo, eo tempore cum S. Heinricus Romanum Imperium administrabat. Post biennium quoque à Mainhardo Halberstatensi præfule in Melicum monasterium magna solennitate translatus, multis miraculis coruscare cœpit, ubi etiam

hodie quotannis adhuc à peregrinis aditur, & ob fidei constantiam laudatur, Cusp. in Aust.